



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

De exordium communibus præceptis. Capvt IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

De exordiorum communibus praecipis.

CAPVT IX.

Curare igitur oportet in grandi praefertim oratione aditus honestos, vt in Basilicis praecleara vestibula: sed tamen est in ijs plerumque elaborandis difficultas, vt expeditius sit orationis exitum inuenire, quam principium: Ego nullam faciens syluescentium preceptorum congeriem, primū explicare pauca, & necessaria de exordio subijcio, mox nostro more περιπατητικῶν exempla praecceptorum rationibus subiungo.

In exordio considero nomen, definitionem, diuisionem, partes, vitia, virtutes, & tractationem.

Exordium dictum est metaphora ducta a Textoribus, Procemium a Citharædis, vt testatur Magnus Aurelius Cassiodorus in compendio Rhetoricæ. σίμη (inquit) cantus est, & Citharædi pauca illa, quæ antequam legitimum certamen inchoent, emerendi gratia canunt, procemium nominarunt. Oratores quoque ea, quæ prius ordiuntur orationis causa, ad conciliandos sibi iudicum animos praeloquuntur, procemij appellatione signarunt.

Exordium (inquit Cicero) est principium orationis, per quod animus auditoris, vel iudicis constituitur, vel apparatur ad audiendum.

Eius duo facit genera, procemium, & Ephodon siue insinuationem.

Procemium est apertum principium.

Ephodos est subdolum initium, occultius irrepens in animos iudicis (inquit Fortunatianus.) Sed de hac exordiorum diuisione plenius antea dictum est.

Partes exordij nonnulli quatuor asserunt, quamquam istud vbiq; non obseruetur. Notatur tamen plerumque *Expositio, Ratio, Redditio, & Comprobatio*. Expositio est oratio rem indicans, vt *neminem vestrum latet (Quirites) quanta mala Carthaginienses propter vestigalium magnitudinem patiantur*. Ratio est causa quæ redditur expositionis, vt. *Neque enim res ita parua est, vt latere possit*. Redditio est breuis assumptio, seu complexio eius, quod expositione, & ratione conficitur. *Vos autem decet Quirites pro gloria, & laude vestri nominis tributa miseri diminueret.*

H b 2 Com.

Exordia & aditus honesti. Apsinua Rhetor Græcus multas habet maxime de exordijs iudicialibus præceptorū minutas, quas videre licet Rhetor. Græc. p. 682. Exordij nomen, & definitio. Cassiodorus in Rhetorica compendio.

Partes exordij.

Pluss habere suauitatis, quam maiestatis, ne nimia grauitate, quos conciliatos esse volumus, auocent auditores. At verò in orationibus exornatiuis, quæ non ad suasionem, sed delectationem instituuntur, longè alia ratio, & vehementer errant, qui hæc genera vna ratione præcepti complectuntur. Oportet enim hæc præmia compta esse, florida, veneribus, & gratijs pullulantiâ, quanquam nolim esse aliquid, aut translatum audacius, aut ab obsoleta vetustate, aut poetica licentia sumptum. Nondum enim recepti sumus, & custodit nos recens audientium intentio: magis conciliatis animis, & iam calentibus hæc libertas, si modo vnaquam toleranda est, feretur alacrius.

Quint. l. 4.

Exordium ceteris partibus recte insuendum.

Exordiorū locos communes habebant antiqui Oratores.

Cicero habuit volu-men exordiorum.

Exordia adscititia.

Præterea cæteris orationis partibus vniti exordia, adaptarique operæ pretium est, ne à toto corpore disincta, intrusa potius, quam propria esse deprehendantur. Hanc artem tamen plerique veteres tenuerunt, vt locos sibi exordiorum communes facerent, quibus pro occasione vtrentur, quanquam ea opinor magna dextercitate reliquo corpori insuebant, vt nihil violentum cerneretur. Hoc sibi excidisse testatur M. Tullius, qui libro, quæ de gloria conscripsit, procemium vnum ex suis Academicis inseruit. Sic autem ille ad Attic. lib. 16. c. 5.

De gloria librum ad te misi, & in eo procemium, id est, quod in academico tertio. Id euenit ob eam rem, quod habeo volumen procemiorum, ex eo eligere soleo cum aliquod σὺν ῥησέμματα in st tui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminisses me ab usum isto procemio, conieci idem in cum librum, quem tibi misi. Cum autem in nauī legerem academicos, agnouī erratum meum. Itaque statim nouum procemium exaravi, & tibi misi, tu illud desecabis, & hoc agglutinabis.

Hoc qui faciunt pueri, sine iudicio ex alijs authoribus exordia, male suis tyrocinijs aptantes persæpe corpori equino, humanum caput coguntur adtexere. Iam ad præcepta magis familiaria, & exempla deueniamus.

oratio debet argenti...

l. 4.

chiro scribitur...



Comprobatio est redditionis causa, ne cogatur tantam calamitatem experiri, ut & filios, quos genuerunt in perpetuam vendant seruitutem.

*Vitia.*

Vitia exordij sunt, vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra præcepta. Vulgare, quod in communes causas accommodatur, ut Delphicus gladius. Commune quod non minus in hanc, quam in contrariam, causam potest accommodari.

Longum quod pluribus verbis, & sententijs ultra, quam satis est, producitur.

Separatum quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum orationi annexum.

Translatum quod aliud conficit, quam genus causæ postulat, ut si docilem faciat auditorem, cum beneuolum causæ desideret.

Contra præcepta quod eum, qui audit, neque attentum, neque docilem, neque beneuolum efficit.

*Virtutes.*

Virtutes sunt in quantate, & qualitate.

Quantitas in eo est, ut orator iustam habeat exordij magnitudinem, & viriliter se expediat.

Qualitas ut de re sit, & pro re, & ab extremo principio ad narrationem descendens subtiliter fiat.

*Exordij finis.*

Tractatur exordium ad conciliandam beneuolentiam, attentionem, docilitatem. Quamquam ut monui ineptum est existimare, his partibus singulis deberi semper in exordijs locum.

Beneuolentia petitur à personis, rebus, ab adiunctis personarum, & rerum: In persona oratoris spectatur modestia, officium, necessitas, publica vilitas, æquitas, & id maxime in iudicijs. In persona clientis, nobilitas, innocentia, virtus, eruditio, promerita in temp. In aduersarijs odium, crudelitas, perfidia, malitia, diffidètia, auctoritas, infecta libido, intemperantia, amentia, furor, barbaries, petulantia, consilia, passionis, diuitiæ, auspicia, clientelæ, facultates, affinitates, eloquentia. Sed hæc ad genus iudiciale attinent; In rebus spectatur locus, tempus, opinio, fama expectatio vulgi, dubitatio, sollicitudo, admiratio, votum, inuocatio diuorum, abominatio, historia, exemplum inopinatum.

*Attentionis concilianda*

Attentionis partes sunt, res magnæ, nouæ, præclaræ, incredibiles, inusitata, terribiles,

humana, illustres, obscure, difficiles, fructuosa, iucundæ, auditoribus vitales.

Docilitatis partes sunt distributionis breuitas: In tractatione ut plurimum omnia debent esse mediocria, & modesta, sententiæ, vox, vultus, compositio. A structura aberit, verbum omne insolens, audacius translatum, vetustum, poeticum, luxu diffuens. Nisi forte, quis in ijs declamatoribus, qui artem de industria proficentur, aliam rationem esse putet.

At verò, quoniam ea sæpius nobis occurrunt argumenta, vbi nihil à loco, aut tempore, aut personis desumendum est, vnde nimis promissa vulgaria, plerumque sunt exordia, vnam rationem exordiorum breuiem, & minime communem paucis trado. A re ipsa exordiendum, quod ut commodius fiat, spectanda est quaestio ad licendum proposita. Atque ut ea paritularis est, gradum facere oportet ad generalem, & ab eadem exordiri, hoc est incipere oporret à propositione generali, quæ ducta ex intimis ipsius quaestionis visceribus, instar sit fundamenti: In hoc nihil puerile, nihil affectatum, & ita quidem exordium est, ut ferme extra exordium sit, nam dum se insinuat, iam probat. Ita tamen, ut quod vult Quintilianus, neque nimis argumentosum sit, neque profusus argumentatione careat, hoc non modo Christi, sed ipsi iudicialibus causis accommodatum est. V. G. Agitur hæc quaestio an legitima parentibus debita postponi debeat legatis in pijs causis factis. Tale erit pro causa religiosa exordium.

Magna est apud probos, piosque omnes pie causæ commendatio, magnum imminuta charitatis, & frigescentis Christiani amoris argumentum, quoties legatorum in Ecclesiâ, & pauperes fauor, vlla ciuilibus officij consideratione superatur. Et hoc iacto fundamento orator descendat ad causam. Ab antiquorum etiam dictis, vel factis, similibus, vel dissimilibus in hoc genere incipi nihil vetat. Contra

Pro parte tale sit initium.

Natura quæ communis est omnium patens, non modo mutuis beneuolentiæ officijs homines inter se conciliat, sed & philosophia affectus, & amicitia iura, plerumque ex propinquitatis gradu, & agnationis vinculo immitit, atque instillat.

Aliud est in hoc genere apud eundem exemplum. Hæredes postulant viduam impudicâ ipso luctus anno, dotalitio priuari. Exordium,

ratio, & exempla, de Cic. pro Roscio Amerino, 2. Anton. 47. pro C. 86. Sylla 31. 46. 69. pro de Breuitate, 34. Amer. Flacc. 32. Dom. 32. Exordia propria quomodo fiant in causis grauibus, & à furo, atque pompa virorum alit, ut in conciliab. Ann. Robert. roman. iudic. lib.



Dion. Prusaeus in olympica.

dium, sit à communi pudicitiae laude. Castitatis, & pudicitiae cultus, unica res est, & vera fœ minarum commendatio, & insigne mulchris laudis monumentum.

Alterum est. Cum ab ipsa hypothese gradimur ad thesin, & rem initio dicendi proponimus, vel potius primis lineamentis adumbramus, sine tamen vlla insinuatione. Tale mihi Ateopagitarum patronorum exordium simplex, & concisum fuisse videtur. Vi, viduam hæredes mariti arguunt, & adulteram, & cædis mariti participem fuisse. Sic, Causa hæc agitur aduersus mulierem, & adulteram, & cæde mariti insignem. Titia non modò constante matrimonio, thori genialis caleato fœdere turpiter se prostituit, sed & intra annum luctus libidine peccauit in cineres mariti. Deinde crimen communiter exaggeratur.

Hæc igitur exordia maxime propria, cætera tamen, quæ ab alijs adiunctis ducuntur, vt personarum, & locorum non sunt contemnenda, si modo communia raris quibusdam ornamentis illustrentur, quod quo pacto fieri possit, hic subiicio, cum aliqua exemplorum varietate.

De exordijs in demonstratiuo genere, ab historijs, fabulis, & exemplis.

CAPVT X.

DEMONSTRATIUM genus, vt natum est ad pompam, exordiorum flore, præter cætera vsuiri, atque ornari solet.

Sumuntur autem ab adiunctis personarum, rerum, locorum, temporum, & ea satis crebra sunt, quæ per insignem aliquam historiam sũt, cui statim propria reddicio accomodatur, quod si bellissime fiat, specimen habet eruditionis, & ingenij. Contra si tortum, si intrusum, si nimis affectatum, iuuenileia stylum sapit.

Exempla nonnulla suggeram, quæ passim vsuiri video, quanquam hanc exordiendi rationem, haud ybique probauerim.

Adiuncta persona Oratoris.

Si se tenuem in dicendo profiteri velit, & concursum auditorum habeat, qui cum circumstant, ament, suspiciant, exordietur à similitudine noctuæ, vt est apud Dionem Prusæum in olympico.

Αλλ' ἢ τί λεγόμενον, ὃ ἄνδρες, ἐγὼ καὶ παρ' ὑμῖν, καὶ παρ' ἑτέροις πλείοσι, πείσονται τὸ τὴν γλαυκὴν ἀποσπονὴν καὶ παρδοξὸν πᾶσι. ἐκείνου γὰρ οὐδὲν ἑφατέραν αἰτῶν, οὐδὲν οὐδὲ βελτίω τὸ εἶδ' ἄλλὰ τοιαύτω ὁποῖαν ἴσμεν, ὅταν δὴ πᾶστε φεγγήται λυπηρὸν καὶ οὐδαμῶς ἡδὺ, περιέωστοι τὰ ἄλλα ὄρεα. ὅταν ἢ ἴδῃ μόνον τὰ μὲν, καὶ κίχιδρα ἐγγύς τὰ ἢ κύκλω περιπατομένη, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, καταφρονέοντα τὸ φαιλότη. καὶ τὸ ἀδενείας. οἱ ἢ ἀνθρώποι φασι, ὅτι δαυμάζει τὴν γλαυκὰ τὰ ὄρεα. πῶς ἢ οὐ τὰ αὐτὰ μᾶλλον ὄροντα δαυμάζει, καλῶν οὐτὰ καὶ ποικίλων. ἐπεὶ ἢ αὐτὸν ἐπαρόμιον καὶ βασιλευνόντα τὸ κάλλος τῶν περὶ αὐτὸν, ὅταν ἀβρίνηται πρὸς τὴν θήλειαν ἀνακλήσας τὴν οὐρανὸν, καὶ περισήσας αὐτῶ πανταχοῦ δὲν ὡσπερ εὐεῖδες δὲ Ἰορδάνην, ἢ ἡνι γραφῆ μιμηθέντα οὐρανὸν ποικίλον ἀστροῖς, & κατ', quæ sic παραφρασικῶς expono.

Pauo theatri sibi spectabile & caelum in cauda constituit.

Mi verò (Audit. humaniss.) absurdum illud, & incredibile, quod de noctua narratur, & hic apud vos, & apud alios complures accidisse video. Illa enim quum cæteris volatibus sit, neque sapientior, neque formosior, sed talis qualem nos sæpe vidimus, quando forte vocem fundit maestam, profusque insuauem, circumstant alia aues, imo simul, atque eam conspexerunt, partim propè assident, partim in orbem circumuolant. Quid verò lunoniam auem pulchellum illum pauonem, qui gemmat floribus, nitet purpura, micat auro, stellis radiat, qui dum se infringit, rotat, delicias agit, & conchata caudæ volumina explicat, magnificentissimum theatrum, aut caelum ipsam micantibus stellis vndique vermiculatum, spectatorum oculis subiicit, non ita admirantur, non fractos lusciniæ modulòs, non moribundi olòris voces, ipsa suauitate dulciores, tantopere suspiciunt: Sic vos quoque cum tot amena habeatis spectacula, tot acroamata, tot Rhetores, tot Poetas, vos tamen me, cum erudissimis hominibus minime comparandum circumstatis, & summa benivolentia complectimini.

Redditio.

Exordium à fabula noctuæ.

